Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26360
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nes mee. & iuuenes mei. & c. Mundas cogitationes & affectus robustiores quasi sobolem & spem uteri sui hoste uastante deperire cernit. & spem future generationis amittit. Col. SADE. Iustus est dominus in omnibus uiis suis. quia os domini id est uerbum patris uel prophetas. uel predicatores. uel sententiam ad iracundiam prouocaui peccando. Audite obsecro aure cordis. uniuersi populi. id est transeuntes uiam ut supra. & uidete diligenter dolorem meum. Octauus indignationis locus. Virgines mee. id est caste intentiones. uirgines enim non aliquem ledere. nec se possunt defendere. & iuuenes mei robusti affectus abierunt in captiuitatem babylonis. COPH. Vocaui amicos meos. & ipsi deceperunt me. Sacerdotes mei. & senes mei in urbe consumpti sunt. quia quesierunt cibum sibi ut refocilarent animam suam. Hyst. Vocaui amicos. m. & c.

Coph interpretatur uocatio. unde continuo subiungit. Vocaui amicos meos egyptios. quorum iudei functi amicicia & auxilio. sed ipsi deceperunt me. quia in tempore prime uel ultime captiuitatis nullum auxilium prebuerunt. Unde & ysaias. Erit terra iude egypto in die uastitatis eorum in formidine & c. Iure autem decepti sunt. quia magis in